



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Mvnichsmvnster Monasterivm Ordinis S. Benedicti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13578

Corhern von Nospurg Freyheit von der neuen Corherren wegen.

Wir Ludwig von Gotes gnaden Pfalenzgraue bey Fein/ Herzog in Nidern vnd Obern Bayern. Bekennen mit dem Brief öffentlich das für vns kommen sein die Ersamen vnser andechtig vnd lieb getrew der Tschant vnd gemeinlich das Capitel vnser Stiff zu Nospurg/ vnd haben vns fürbracht solch mercklich abgeng vnd gebrechen so sy in vnsern Stiff zu Nospurg haben von der Marter wegen in Latein Exspectans die wir in auff dieselben vnser Stiff geben haben vnd noch füran geben mochten werden das dann Knaben vnd nicht Priester noch zu Priestern ale sein vnd vil ander gebrechen dadurch der Stiff nit nach notturfft gesungen/ mit Mess gelesen vnd der Gotsdienst dadurch verhindert werde/ vnd wanne vns aber solchs vnd anders das durch der Gotsdienst verhindert werdet/ nit lieb vnd als wol billich ganz wider ist/ haben wir solich vnd ander jr begeren vnd anbringen als der Landtsfürst Vogt vnd Lehenher/ vnd als der Fürst der den Gotsdienst an aller statt fürdern vnd nit hindern soll noch wil billich erhört vnd haben in die sunder Gnad gethan vnd Freyheit geben/ tun vnd geben in die auch wissentlich mit dem Brief/ das wir wellen das füran keiner bey in auff den benannten vnsern Stiff weder zu Corhern noch Marter von vns noch vnsern Erben auffgenommen noch dahin geben werden soll/ er sey dann Priester oder zum mynsten X X. Jahr alt/ damit der Gotsdienst füran volbracht/ gemert/ vnd nit verhindert werde/ wir wellen auch ernstlich welch also zu warten von vns dahin geben sein oder füran geben würden in der maß vnd in dem alter/ als vor geschriben seet das der oder dieselben von fundan des Gotsaus Stiffis vnd des Cors gewonheit mit lesen singen gehorsam vnd andern an sich nemen thuen vnd verbaren solch alsdann bey in in guter Gewonheit vnd herkommen ist/ welche aber des nit taten vnd darin sewmig warden/ so wir des von dem Tschant vnd Corhern vnderriete sullen der oder dieselben bey der benannten vnser Stiff nit auffgenommen/ noch durch vns presentirt werden. Es sol auch ein yeder den wir dahin presentiren der nit Priester ist in dem ersten Jar so wir in dahin presentirn/ zum mynsten Epistler Ewangelier vnd darnach Priester so das alter halb amersten sein mag werden/ damit der Gotsdienst vnd Cor gefürdert vnd nit verhindert werde. Ob auch geschache das wir in Marter geben oder eilich amen oder mehr presentiren anders dann die vnser Gnad vnd Freyheit innhelt auß vergessen/ oder wie das geschach/ soll es doch kein krafft nit haben/ sunder bey der vnser Freyheit vnd Gnaden beiben vnd gehalten werden. Wir haben in auch die sunder Gnad getan/ das wir wellen ernstlich das jr Sagermaister der yste ist oder fürbas wirdet aller stewr wacht vnd Scharwerch in der benannten vnser Statt Nospurg frey vnd ledig sein vnd den Corhern zuuersprechen seen sol/ als wir das mit vnsern lieben getrewen den Bürgern zu Nospurg reden lassen haben. Darauff so gebieten wir allen vnsern Pfigern Richtern/ Amptleuten/ Bürgern vnd allen andern das jr die benannten vnser Stiffes Dechan vnd Corhern bey solchen vnsern Gnaden vnd Freyheiten haltee/ dawider nit tut noch andern zetun gestattet bey vnsern Dagnaden vnd schwärer straf zuuermeiden. Geben zu Landshut am Sontag Eisto mihi nach Christi Geburt X IV. vnd im sechs vnd sunffsigisten Jar.

MVNICHSMVNSTER MONASTERIVM ORDINIS S. BENEDICTI

ADDANVS IVM infra Vohburg fundauit Diepoldus Marchio de Vohburg, huius nominis quartus, qui ambo Monasteria, Reichenpach & Waldsaisé, etiam fundauit secundum D. Laurentium Hochvart, in Catalogo suo Episcoporum Ratisponensium.

HOC Monasterium olim ab Vgris exustum, Henricus nonus, Dux Bauariae & Diepoldus Vohburgensis Marchio, pro Benedictinis Monachis instaurarunt, Auent. fol. 622. Idem in Vohburgensi familia.

LVDOVICVS Dux Boiariae confirmauit huic Monasterio Parochiam in Moching, quae antiquitus huc pertinebat. In illis literis nominat Arnoldum Ducem Boiariae Tyrannum, propterea quod Monasterium magnis malis adfecerat: Testes, Albertus Leuzmannus, Albero de Prugperg, Hadmarus de Laber, Meinhardus Comes de Roteneck, Winhardus de Rorbach, Otto & Vlricus, fratres de Lapide, ALBERTVS Schilvvaz, Iordanus de Starzhausen, OTTO de Werd, Diethricus de Sanderstorf, Berchtoldus de Wackerstein, Marquardus de Gruenharzhouen, Henricus & Vlricus fratres de Otling, Vlricus Marschalculus dictus de Perge, Conradus de Münster. Datum Ilmendorf, Año 1264.

EXTITIT in hoc Monasterio liber antiquissimus, in membranis compactus, in quo descriptae sunt vitae Sanctorum, à Paschasio è Graecalingua in Romanam translatae, Item Hilarion diui Hieronymi adeò antiquis literis, vt lectori reperascendum & ad prima elementa redeundum sit, in fine haec verba leguntur: Hic liber fuit inchoatus in Hunia in exercitu, Anno Domini 918. 4. Non. Junij & perfinitus apud S. Florianum, pridie Idus Septembris in hebdomada quinta decima. Meminit Iohan. Auent. libro Annalium 4. fol. 381. quem ibi post diligentem inuestigationem hoc 1580. Anno, non amplius reperij, puto autem translatum esse Monachium ad Bibliothecam Ducalem, vnà cum quibusdam aliis libris &c.

ADDITIONES.

DE hoc Monasterio videatur vita S. Othonis Episcopi Bambergens. libr. 1. cap. 17. & R. P. Gretser. in suis notationibus: qui pag. 397. inter caetera isthac scribit.

Placet hoc loco referre de exstrukione & restitutione Cœnobij huius verus quosdam tamen male dolatos & tornatos, qui olim in eius Monasterij templo legebantur.

Tassilo Dux Boiùm qui nomine dicitur ipso

Tertius, ille pius fundat & aedificat

Istud Cœnobium Munster quod habere videtur

A monachis nomen, utque hodie vocitant.

Annis sub numero Domini septingentiq; decemq;

Lustra ierant, sed mox fit solitudo iterum.

Princeps Arnolfus siquidem Bauarorum, agitatus

Eumenidum furis in cinerem redigit.

Ulrix illico quem Nemesi sequitur, meritamq;

Persoluit pœnam, Sylla velut moriens.

Post diuus veniens praesul Bambergius Otto

Nempe Lotharius ut Induperator erat.

Romulidum quo tempore destructum reparauit

M. C. sub vno anno... Erns.....

Historia referuntq; Ducem supra memoratum

Cui monasterium hoc construere placuit.

Metrop. Salisb. Tom. II.

XX

Edes

Aedes deinde monasterium fundavit amenas:

Sic fundatorem Lector amice tenes.

De fundatione Monasterij *Münsteriensis* in libro antiquo fundatorum pag. 33. sequentia leguntur.

NOTA. Est locus quidam propè *Danubiam* in Episcopatu *Ratisponensi* situs: quem vicini à collateralis villa *Sveigam*: alij ab apposita villa *Monasterium* nuncupant, ut fama refert, antiquitus monasticæ quieti utpote aptissimus, ad laudem Christi, & honorem S. *Petri* Apostolorum Principis mancipatus erat, & sedi apostolicæ delegatus & traditus: amplis & magnis possessionibus admodum dilatatus fuerat, nec non & sub multis Patribus ad Ecclesiæ consolationem aliquandiu decenter floruit. Deinde instinctu Diaboli exterioribus rebus potentium personarum violentia, videlicet *Arnolphi* Ducis *Bavarici* subtractis, in solitudinem redactus est hic locus, in tantum, quod expulsi Monachi, possessiones distractæ, vel in beneficiatæ, privilegia disrupta, & intus ac foris ita omnia destructa sunt, quod pro multis Monachis vix pauci & pauperes Clerici fidelium oblationibus utcumque sustentati in proxima villa, ad titulum S. *Sixti*, quasi quoddam indicium prioris gloriæ secuturis sæculis remanserint.

Postmodum verò temporibus *Lotharij* tertij *Romanorum* Imperatoris Augusti, piæ memoriæ *Otto Babenbergensis* Episcopus præfatum Monasterium religioni & rebus penitus nudatum, cum paucis adjacentibus terris & habitaculis, nec non & cum adiacente Parochia eiusdem nominis, auri & argenti precio ab *Henrico* Duce *Bavarie*, & à *Diepoldo* Marchione comparavit, & regali Privilegio antedicti *Lotharij* in proprietatem *Babenbergensis* Ecclesiæ collatum suscepit, virosque religiosos ordinis Monastici ibidem collocavit. Acta sunt hæc anno incarnationis Dominicæ M. C. XXXI.

Anno incarnationis Domini M. C. trigesimo tertio. Indictione undecima, sub Domino Papa *Innocentio* II. & *Lothario* Romanorum Principe, Dominus *Chuno* tunc *Ratisponensis* præsul, Deo & hominibus acceptus & honorabilis, prouocatus fidelium querelis ad restitutionem loci omnimodis animum intendit.

Ad quod perficiendum, ope & consilio subnixus Domini *Erboni* venerabilis Abbatis de *Prævinigen*, quendam religiosum virum de fratribus *Richardum* nomine designavit Abbatem; nec multò post ipse de hac luce præmaturè assumptus, ad vitam transit meliorem. Post cuius discessum successor ipsius venerabilis Dominus *Henricus* Antistes, prædecessoris sui statuta collaudans & confirmans, eundem Dominum *Richardum*, quamvis multum renitentem & stentem prid. Non. Decemb. consecravit Abbatem, eumque frequentæ populi producens publicè, & ipsi & fratribus eius, & omnibus habitis vel acquirendis rebus immunitate banni S. *Petri* & Papæ, cum propria & totius Ecclesiæ auctoritate denunciavit. Hi sunt testes, quorum iudicio hæc acta sunt. *Haganus* Præpositus, *Engelbertus* Decanus, *Rupertus* Archipresbyter, *Almannus*, *Henricus*, *Wolffherus*, *Henricus* custos. *Idunc* Magister. *Vadricus* Capellanus.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilecto in Christo filio *Richardo* Abbati Cœnobij S. *Petri* situm in loco qui vocatur *Monasterium*, eiusque fratribus tam præsentibus quam futuris regulariter subministrandis, in perpetuum, iustis votis assensum præbere, iustisque petitionibus aures accommodare nos

conuenit.

Not. Chuno
nois hu
ius Episco
pi Dn. Hb
dius in an
num 1130
veniunt a
dij anno
1135
obijse tra
dunt. Vid.
Hoch-
vart. in
Chronie.
Ep. Ratisb
lib. 2. c. 23.


conuenit, qui licet indigni iustitiæ custodes atque præcones in excelsa Apostolorum Principum *Petri & Pauli* specula positi Domino disponente conspiciuntur. Quapropter dilecte in Christo fili *Richardæ* Abbas tuis postulationibus debitæ charitatis affectione accommodamus assensum, & monasterium Beati *Petri*, cui Deo auctore præsidet, in tutelam & protectionem Sedis Apostolicæ suscipientes, præsentis scripti pagina communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus secundum Beati *Benedicti* regulam ibidem perpetuis temporibus Domino largiente inuiolabiliter conseruetur. Nemini etiam vestræ professionis facultas sit alicuius leuitatis instinctu, vel arctioris religionis obtentu sine Abbatis vel congregationis licentia de claustris discedere. Quod si discesserit, nullus Episcoporum, nullus Abbatum, nullus Monachorum sine communium litterarum cautione suscipiat, quamdiu uidelicet in Ecclesia uestra monastici ordinis tenor Domino præstante viguerit. Præterea, quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum, iustè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu etiam aliis iustis modis Domino volente poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus annotanda uocabulis; duas uidelicet partes decimarum & oblationum de duabus parochiis, scilicet *Attenhouen & Alantinchingen*, quæ ad præfatam Ecclesiam pertinere noscuntur. Sepulchram quoque illius loci liberam esse concedimus, ut eorum qui se illic sepeliri deliberauerint, deuotioni & extremæ uoluntati, nisi fortè excommunicati sint, nullus obsistat. Salua matricis Ecclesiæ debita iustitia. Laborum quoque uestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, siue de nutrimentis uestrorum animalium nullus omninò Clericus vel Laicus decimas à uobis exigere præsumat. Prohibemus etiam, ut nullus Abbatiam ipsam, loca, vel homines ad ipsam pertinentes occasione aduocatiæ inquietare, vel indebitis exactionibus molestare præsumptione temeraria audeat. Statuimus etiam, ut in parochialibus Ecclesiis, quæ ad uestrum monasterium pertinent, presbyteros eligatis, & Episcopo præsentetis, qui si idonei fuerint, & canonicè reprobari non poterunt, Episcopus animarum curam eis committat; ut de animarum quidem cura Episcopo respondeant, uobis uero pro temporalibus, debitam subiectionem exhibeant. Obuente uerò te, nunc eiusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia vel uolentia præponatur. Sed liceat uobis communi consilio, vel sanioris partis consensu, secundum Dei timorè & *B. Benedicti* regulam absque alicuius contradictione Abbatem eligere. Decernimus ergò, ut nulli omninò hominum liceat præfatam monasterium uestrum temere perturbare, uel eius possessiones auferre, uel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus iniustis vexationibus, uel indebitis exactionibus molestare, sed oïa integrè conseruentur, eorù pro quorù gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usque omnimodis profutura. Salua nimirum Diocesani Episcopi Canonica reuerentia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisue persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentauerit, secundo tertioque commonita, si non reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat; & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hinc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum

judicem præmia æternæ pacis inueniant, Amen, Amen, Amen. Subscriptio-
nes verò de quibus supra fit mentio, sequuntur, & sunt tales.

Sanctus *Petrus*. *S. Paulus*. Ego *Innocentius* Catholica Ecclesiæ Episcopus. Ego *Gregorius* Diaconus Cardinalis Sanctorum *Sergij & Achatij*. Ego *Otto* Diaconus Cardinalis *S. Georgij* ad velum aureum. Ego *Guido* Cardinalis, SS. *Cosma & Damiani*. Ego *Gerhardus* Diaconus Cardinalis *S. Mariæ in Dominica*. Ego *Guido* S. R. E. Diaconus Cardinalis. Ego *Martinus* tituli *S. Stephani in Celio* monte presbyter. Cardinalis. Ego *Guido* S. R. E. indignus Sacerdos. Ego *Stephanus Prænestinus* Episcopus. Ego *Guido* presbyter Cardinalis tit. *S. Chryfogoni*. Ego *Petrus* presbyter Cardinalis de tit. *pastoris*. Ego *Hubaldus* presbyter Cardinalis tit. SS. *Ioannis & Pauli*. Datum harum per manum *Gerardi* S. R. E. presbyteri Cardinalis & Cancellarii, VII. Kal. Martij. Indiæ. VI. Anno incarnationis Dominicæ M. C. XLI. Pontificatus verò Domini *Innocentij* Papæ II. Anno XIII.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Chunradus* diuina fauente clemencia *Romanorum* Rex secundus. *Æquitas* iustitiæ & regni autoritas nos admodum omnium quidem vtilitati prospicere, maxime verò fidelium Christi votis, modis omnibus promouere & adiuuare. Quapropter notum esse volumus omnibus Christi nostrisque fidelibus tam futuris, quam præsentibus, qualiter Monasterium quoddam in Episcopatu *Ratisponensi* situm Monasterium quoque nomine dictum amplis antiquitus & magnis possessionibus fuerit dilatatum. Nam postmodum peccatis exigentibus, & malis diebus superuenientibus ad id redactum est, quod expulsim monachi, possessiones distractæ, vel inbeneficiatæ, priuilegia disrupta, & intus ac foris ita omnia distracta sunt, quod promultis monachis vix pauci & pauperes clerici remanserint. Quem locum diuæ memoriæ *Lotharius* Imperator de manu *Heinrici Bavarici* Ducis, & *Dietpaldi* Marchionis sub imperialem jurisdictionem denuò recepit, & interuentu beata memoriæ *Otonis Bambergensis* Episcopi idem monasterium & ordinem monasticum ibidem antiquitus institutum regio autoritatis priuilegio consumauit. Nos igitur ob amorem Dei & Beati *Petri* Apostoli quicquid in ante jam dicto prædecessore nostro Imperatore iustè & rationabiliter factum est, præsentis scripti pagina roboramus, & ratum atque inconuulsum omni æuo manere decernimus. In primis vt ordo monasticus qui in eodem monasterio à primis diebus noscitur institutus futuris perpetuis temporibus ibidem integer conseruetur. Deinde vt quolibet eiusdem loci Abbate defuncto, fratres ibidem constituti secundum regulam Beati *Benedicti* liberam electionis habeant potestatem. Postremo vt nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux vel Marchio, Comes aut Vicecomes, vel aliquis alius aduocatiæ aut cuiuslibet rei occasione idem Cœnobium temerè perturbare, familiam Ecclesiæ iniustis exactionibus fatigare, possessiones auferre, ablatas retinere, minuere, dare, vendere, vel fratrum vltibus quolibet modo alienare præsumat. Concedimus autem fidelibus nostris, quicumque à nobis eiusdem Ecclesiæ bonis, agris, vineis, seu mancipiis inbeneficiati sunt, vt si forte his ob spem retributionis diuinæ carere voluerint, seruis Dei qui in ipso loco habitant consultis nobis de cætero profutura dimittant, quatenus & regnum nostrum suo jure minimè priuetur, & illorum inopia ex nostra abundantia suppleatur. Si qua igitur persona temeraria huius Decreti nostri statutum violauerit, eoditionis suæ dignitate careat, & libras quinquaginta auri purissimi cõponat, quarum dimidia pars Camere nostræ appendat, reliquam vero partem præfato monasterio persoluat. Vt autem hæc nostra corroborati

boratio firma & inconuulsa omni permaneat æuo, hanc chartam inde scribi, & sigilli nostri impressione insigniri iussimus, manuque propria vt infra appareat corroborantes, testes qui præsentés aderant subter notari fecimus. Quorum nomina sunt hæc: *Theodeuvinus* sanctæ *Rufinæ* Episcopus Apostolicæ sedis Legatus *Heinricus Ratisponensis* Episcopus. *Gebehardus Eychstatis* Episcopus. *Otto Frisingensis* Episcopus. *Luipaldus* Dux *Bauariorum*, *Dietpaldus* Marchio. *Otaker* Marchio de *Styre*, *Heinricus* frater Regis. *Otto* Palatinus. *Otto* præfectus & filij eius. *Heinricus* & *Otto*. *Fridericus Ratisponensis* Aduocatus. *Gotesfrid* de *Weterenuelt*. Signum Domini *Cunradi* Romanorum Regis secundi.



Et ego *Heinricus* Notarius Vice Archicancellarij *Adelberti Moguntini* Archiepiscopi recognoui. Anno Domini Incarnationis M. C. XLI. Indiæ. IV. Regnante *Cunrado* Romanorum Rege II. anno verò regni eius IV. Actum *Ratispona* feliciter, Amen.

Lucius Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilectis filiis *Hartuvice* Abbati sancti *Petri* sitii in loco qui vocatur *Monasterium*, eiusque fratribus tam præsentibus quam futuris regulariter substituendis, in perpetuum; iustis votis assensum præbere, & iustis petitionibus aures accommodare nos conuenit, quilibet indigni iustitiæ custodes atque præcones in excelsâ Apostolorum Principum *Petri* & *Panli* specula positi, Domino disponente conspiciuntur. Quapropter dilecte in Domino fili *Hartuvice* Abbas, tuis postulationibus debite Charitatis affectione accommodamus assensum, & monasterium Beati *Petri*, cui Deo auctore præsidet, in tutelam & protectionem *Sedis Apostolicæ* suscipientes, per præsentis scripti priuilegium communimus. In primis quidem statuentes, vt ordo monasticus secundum Beati *Benedicti* regulam inibi institutus, perpetuis temporibus inuiolabiliter obseruetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem Monasterium in presentiarum iuste & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu etiam aliis iustis modis Domino volente poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Duas videlicet partes decimarum & oblationum de duabus parochiis, scilicet *Attenhouen* & *Menching*, quæ ad præfatum Monasterium pertinere noscuntur. Sanè noualium vestrorum, quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, siue de nutrimentis vestrorum animalium nullus à vobis decimas præsumat exigere. Prohibemus insuper, vt nulli fratrum vestrorum post factam in loco vestro professionem, fas sit absque Abbatis sui licentia de claustro vestro discedere; discedentem verò sine communium literarum feutione, nullus audeat retinere. Interdicimus etiam vt nullus Monasterium vestrum, vel homines ad ipsum spectantes occasione aduocationis nequiter inquietare, vel iniustis audeat exactionibus molestare. In parochialibus autem Ecclesiis quas habetis, liceat vobis quatuor vel tres eligere Sacerdotes, qui nihilominus Diocesano Episcopo presententur, vt ab eo curam recipiant animarum, & illi de Spiritua-

Metrop. Salisb. Tom. II.

X x 3

libus;

libus; vobis autem de temporalibus & ordinis obseruancia debeant responde-
re. Obeunte verò tenunc eiusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successo-
rum., nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi
quem fratres vnanimi consensu, vel fratrum maior pars consilij sanioris secun-
dum Dei timorem & Beati *Benedicti* regulam prouiderinteligendum. Sepultu-
ram quoque ipsius loci liberam esse concedimus, vt eorum deuotioni & extre-
mæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberauerint, nisi forte excommunicati vel
interdicti sint, nullus obsistat, salua iustitia matricis Ecclesie. Decernimus ergo
vt nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium vestrum temere
perturbare, vel eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut ali-
quibus vexationibus fatigare, sed omnia integrè conseruentur, eorū pro quo-
rum gubernatione ac sustentatione concessa suat, vsibus omnimodis profutu-
ra, Salua sedis Apostolicæ autoritate, & Diocesani Episcopi Canonica iustitia.
Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisue persona hanc nostræ consti-
tutionis paginam sciens contra eam temere venire tentauerit, secundo tercio-
ue commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis ho-
norisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata
iniquitate cognoscat; & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Re-
demptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine diuinæ vl-
tioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus, sit pax Do-
mini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, &
apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant, Amen.

Subscriptiones verò, de quibus etiam supra fit mentio petuntur & sunt ta-
les. *S. Petrus. S. Paulus.*

Ego *Lucius* Catholicæ Ecclesie Episcopus. Ego *Ioannes* Presbyter Cardina-
listit. *S. Marci*. Ego *Laborans* presbyter Cardinalis sanctæ *Mariæ* trans *Tyberim*,
tit. *Calixti*. Ego *Hupertus* presbyter Cardinalis tit. *S. Laurentij* in *Damaso*. Ego
Theodinus Portuenſis tit. *S. Rufina* sedis Episcopus. Ego *Henricus Albanensis* Epif-
copus. Datum *Veronæ* per manum *Hugonis* S. R. Ecclesie Notarij V. Kalen. No-
uembr. Indiçt. III. Anno Domini M. C. LXXXIV. Pontificatus verò Domini
Lucij Papæ III. anno IV.

Pergit Reuerendus P. *Gretferus* loco supra allegato, pag. 398.

Reperi in antiquo Codice quodam *Innocentij* II. Pontificis & aliorum E-
pistolâs nonnullas, ad idem Monasterium pertinentes; quas attexere visum, li-
ceratlicubi lacunis interruptas, ex quibus constat fit, quam huic Pontifici cu-
ra illud Monasterium fuerit; & quam variam quoque sortem variis temporibus
subierit.

* Henrico
I.

INNOCENTIUS Seruus Seruorum Dei. * *H. Ratiponensis* Episcopo, salu-
tem & apostolicam benedictionem. Sicut tua nouit fraternitas, ad Episcopale
officium pertinet religiosos viros manutenerè, & diligere, & paterna sollicitu-
dine eis necessaria prouidere. Vnde bonæ memoriæ antecessor tuus Episcopus
Cuno monachis in ecclesia beati *Petri* in loco qui vocatur *Monasterium* Deo ser-
uentibus, Ecclesiam beati *Sixti* cum parochia sibi adhærente tradidit. Nunc au-
tem, ipsius loci Abbate referre tradidimus, quod prædicta Ecclesia & paro-
chia ablata est, & fratres, ad quorum solatium tradita erat, exinde graue incom-
modum patiuntur. Quocirca per præsentia tibi scripta præcipiendo manda-
mus, quatenus eisdem fratribus præfatam Ecclesiam cum parochia restituas,
& de cætero ipsi tanquam pius & bonus pastor misericorditer prouidere stu-
deas.

INNO-

INNOCENTIVS Ep̄s seruus seruorum Dei. Venerabili fratri *Heinrico Ratisponensi* Ep̄scopo salutem & Apostolicam benedictionem. Ad tuum spectat officium religiosos viros diligere, & illorum necessitatib. providere. Quocirca per scripta praesentia dilectioni tuae rogando mandamus, vt *Monasteriensib.* fratrib. . . . decimarum & oblationum parochiae ipsi . . . antiquo & concessione praedecessoris tui *Cunonis* Ep̄scopi, ad ius ipsius monasterij pertinere asserunt, amore Dei concedas, & nullam eis iniuriam vel bonorum suorum diminutionem inferri permittas. Datae *L. Laterani* VIII. Decembris.

INNOCENTIVS seruus seruorum Dei. Dilecto in Christo filio *D. Marchioni. Salutem & Apostolicam benedictionem. Quisquis Deo placere desiderat, expedit vt religiosos viros diuino famulatu mancipatos iuxta facultatem sibi a Deo concessam iuuat & manuteneat, & in suis oportunitatib. op̄e eis & consiliu praebat. Ideoque nobilitati tuae rogando mandamus, vt religiosos fratres in Ecclesia *B. Petri Monasteriensis* Domino seruietes, iuues & manuteneas, & si quid de bonis eorum te iuste retinere cognoscis, eis restituas. Valde namq; periculosum est, & animarum saluti contrarium, ea quae pro remissione peccatorum aut reque animarum venerabilib. Ecclesiis concessa sunt, alienis vsib. applicare. Rogamus etiam, & in peccatorum remissionem iniungimus, vt occasione aduocatae vel iniusta exactione eosdem fratres vel eorum familiam inquietari ab aliquo non permittas, sciens quod pro huiusmodi Dominum propitium tibi facies, & aeternae retributionis praemia acquires. Datae *Lat. VI. Idus* Decembris.

In nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis. * *Eberhardus* Dei gratia Ecclesiae *Ratisponensis* electus, & vniuersus eiusdem Ecclesiae chorus, *Cunrado* venerabili Abbati *Monasteriensis* Coenobij, & fratribus, eorumq; successorib. in perpetuum. Cum vnicuiq; sua debeat respondere iustitia, quaestionem illam, quae contra vestrum Monasterium per ignorantiam forte juris vestri, vel aliam quamlibet occasionem, in dieb. vestris emerferat, de parochia *Monasteriensis*, Ecclesia videlicet *B. Sixti*, & de decimis ad eam pertinentibus, diligenti consideratione animaduertimus, & auditis pleni allegationib. vestris, & perspectis priuilegiis. Apostolica videlicet * *Dni Innocentij*, & Imperiali *Dni Lotharij*, simulque Pontificali beatae memoriae *Cunonis* & *Henrici* dominorum & patrum nostrorum auctoritate roboratis, statutis & vestigiis eorum debita eum reuerentia inherere, & & pro vobis sententiam ferre super hac quaestione decreuimus, tam rationis, quam etiam fraternae charitatis & compassionis intuitu, vestrae quieti & necessitati non solum in temporalib. sed etiam in spiritualib. providere cupientes.

Praefatae itaque parochiae donatione vobis & vestris successoribus adiudicantes, . . . decimarum & oblationum quae inde proueniunt, in vsus stipendiorum vestrorum confirmantes, plena consensus nostri firmitate stabilimus, vt nulla ecclesiastica saecularisue persona a modo super hac re vos inquietare, aut molestare praesumat. Quisquis autem hoc violauerit, aut temere transgressus fuerit, perpetuae condemnationis maledicto subiaceat.

Domino & patri suo, sanctae & venerandae sedis antistiti *Innocentio* * *C. Salzbουργensis* Ecclesiae humilis minister cum humili obedientia & fideli seruitio indefesse orationis tam deuotum quam debitum affectum. Dominus Iesus Ecclesiasticae turris arcem in Apostolicae fidei fundamento locare volens *Romana* dignitatis sic ordinavit officium, vt in huius sanctae sedis auctoritate, totius suae domus firmaret ac stabileret edificium. Proinde venerande Pater, quia caput nostrum Christus membris suis in hac caediosa peregrinatione laborantibus, praecipuum posse consolatorum & visorem vos instituit, merito omnium Ecclesiarum sollicitudo vobis incumbit, quem solum, Deus omnia, praestitit.

III.

Innocentius
II. qui Pontificatum
inijt an.
1130.
* *Dietsoldus*

IV.

* *Episcopus*
factus ann.
1165. *Hund.*
in *Metrop.*

* *Innocentius*
II.
Lotharius
II. *Chuno* I.
qui Episcopatium
inijt an.
1112.

Henricus
primus,
Cunonis
successor
in Episcopatu
Ratispon.
1130.
de quibus
supra in
primo diploma.

V.

* *Cunradus*
primus die
extremum
clauit an.
1147.

XX 4

Obscra-

Obsecramus itaque paternitatem vestram, quatenus fratrum *Monasteriensis* cœnobij necessitates clementer ac benigne audiatis, & quod humiliter petunt, sicut facile potestis, efficaciter concedatis. Siquidem iam dictum cœnobium ab antiqua institutione cum magna reddituum & prædiorum impensa diuinis obsequiis sub monastica professione assignatum, fuit & multis temporibus nullo perturbante inconcussum & quietum permansit. Postea autem ipse iam præfati loci prædia, violenta quadam distractione ablata, regalibus vsibus addita sunt, & Monachis propter ablata sibi subsidia discedentibus, nullus, aut omnino exilis diuini seruitij cultus ibi fuit. At verò quia nunc denuò boni & spirituales homines in locum pauperculum restituti sunt, ecce illi sub vestram tutelam confugiunt, & vt sub paternum præsidium eos suscipiatis, & recognoscendis bonis quæ ablata eis sunt operâ deis, humillimè ac deuotissimè petunt.

Karissimo Domino suo & Patri INNOCENTIO, Dei gratia summo Pontifici, T. sanctæ *Rufinæ* minister indignus, quod Domino seruus, quod patri filius.

Monasterium quoddam in Episcopatu *Ratisbonensi* situm, *Monasterium* quoque nomine dictum, vt fama refert, antiquitus sedi Apostolicæ delegatum & traditum, amplis & magnis possessionibus admodum dilatatum fuerat: sed peccatis exigentibus, & malis dieb. superuenientibus, ad id redactum est, quod expulsi Monachi, possessiones distractæ, & omnia intus & foris ita destructa sunt, quod pro multis Monachis vix pauci & pauperes clerici remanserunt. Postmodum verò temporib. *Lotharij* Imperatoris, piæ memoriæ, *Otto Bambergensis* Episcopus præfatum Monasterium religione & rebus penitus nudatum, cū paucis adiacentibus terris & habitaculis, ab Imperatore & Duce *Henrico* per pecuniam obtinuit, & Ecclesiæ *Bambergensi* ab ipsis donari fecit, virosque religiosos ordinis Monastici ibidem collocauit. Qui antiquæ libertatis Romanæ videlicet dominationis suspirantes memoriam, per nostræ paruitatis intercessionem ad vestræ maiestatis confugiunt defensionem, quatenus vestræ auctoritatis patrocinio, & ea quæ ablata sunt ex parte aliqua recuperare valeant, & ea quæ nunc habent, cum vestræ defensionis tutela quiete possideant. Ad honorem & vtilitatem sanctæ Ecclesiæ suæ, vitam longam, salutem continuam tribuat vobis omnipotens Dominus.

NEUBURG.

MONASTERIUM Monialium Nobilium Ordinis Sancti Benedicti, ad Danubium supra Ingolstadium, fuit olim, tempore Pipini Regis Fancie peculiaris Episcopatus, Mannus ibidem Episcopus fuit in magnis prouincialibus Comitibus in Dingelsing, à Tassilone Duce celebratis, anno 775. translatus postea hic Episcopatus Augustam, & S. Vlrico donatus. Neuburgij desuit, Auent. fol. 302.

S. HAINRICVS Imperator vna cum coniuge sua Sancta Kunegunde, à fundamento extruxerunt hoc Monasterium, sacris Virginibus, Anno 1007. ad preces Hilarij Episcopi cuiusdã Pannonici & Cæcellarij Imperatoris, qui miraculis clarus in eiusdem Cœnobij medio ferè templo honorifico mausæolo, cum ipsius saxea imagine ac statua, humatus dicitur. Nominatum est tam Monasterium, quam ipsum oppidum Neuburgum, ad differentiam veteris castelli Altenburg, cuius rudera & vestigia paulò supra Neuburgium adhuc extant.

In Catalogo Abbatissarum huius Monasterij, quem Bruschius in centuria sua Mo-

sua Mo-